



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Bvrgvndi[i] I. C. Et Professoris Ordinari[i] Codicis  
In Academia Ingolstadiensi, Historia Belgica, Ab Anno M.  
D. LVIII.**

**Bourgogne, Nicolas de  
Ingolstadii, 1633**

Liber I.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10557150-4**

A

NICOLAI BURGUNDI  
HISTORIAE  
BELGICAE  
LIBER I.

**F**ATO generis humani quemadmodum siderum, ita & rerum vices circumaguntur. Prima potestas in populo multis fuit; quæ citò ad primores flectendo; & ibi fracta discordiis, apud reges demùm fessa confedit: unde iterum ad exordium suum exorsa revertitur. Raro gentibus tam felicia fata sunt, ut in eodem statu tranquillæ perdurent. Vnumquodque sæculum sua calamitas prosequitur simul, atque deponit. Igitur semper bella nasci, pacem subsequi, marcentem pacem vitia excipere, & hæc ipsa rursus ubi processerint in summa, iratum numen ad ultionem provocant. Quippe natura multitudine onusta quietis est intolerans. & ob id se velut ipsam accito Marte necessum expurgat: quasiq; renascitur, ut in profundo otio iterùm consenescat. Sed vitæ mortalium dux atque moderatrix sapientia est, quæ contra omnes casus virtute instructa, impendentia mala ex alto prospicit, minantemque tempestatem immota expectat. Secura potissimum,

A

mum, non ob aliud, quàm quod nihil acerbius accidere videat, quod non aliquando acciderit. Omnis ætas de sæculo suo queritur, & suum quisque infelicissimum falso credit, quia suum: hoc est; quod nulla calamitas altius penetret, quam quæ sentitur. Homines cottidiè mutantur; mores hominum in orbem redeunt. eadem fabula sæpius, iterumque peragitur sub aliis, atque aliis personis. Luxus, fraus, libido, peculatus, & ejusmodi flagitia quæ hodiernos affligunt mores, & olim prona, atque in aperto fuere. Sed non aliter ad posteros, quam per silentium veniunt. Quocircà reipublicæ interest scriptores existere. Hi sunt qui famam rerum gestarum longius traducunt; eventu, præceptisque salubria docent; iniquitati denique temporum constantiâ, vel consilio occurrere. Quippe nemo rectius, quàm exemplis instruitur. Proinde operæpretium duxi, aggredi bellum, quo nullum unquam diuturnius aut acerbius Belgium habuit, tum conflictu totius orbis Christiani, cum atrocitate præliorum, & nutatione victoriæ, exercitibus hinc pro religione & imperio, illinc pro vindicandâ libertate non minore animo concurrentibus. Nam qui hæc leget, facilè discet scenam rerum humanarum. Eadem causa, idem furor, eadem rabies primo Gallias inflammavit, mox in Scotiam deflexit, inde Belgis incubuit. At mihi  
princi-

principium narrandi facturo, pauca explanare  
convenit de statu reipublicæ. Nam & exteris  
me scribere memini, qui aliis, atque aliis con-  
ditionibus regnantur.

Belgica omnis longè, latèque, per Gallias,  
Germaniamque diffunditur. Cujus non u-  
na gens; sed propriis nationibus, provinciis,  
nominibusque discreta, in commune Belgæ  
vocantur, aut inferioris Germaniæ populi.  
Olim in singulis provinciis imperium fece-  
rant. Imperium dominicum; inde regium,  
hoc est; legitimum; quoad vim domina-  
tionis privilegiis frangendo in formam prin-  
cipatus concessit. Summa imperii penes sin-  
gulos, quos nascendi fors, & promiscua  
successio, non aura popularis, vel ambi-  
tio rebus præposuit. Licentia principum  
supra leges. post insanis castigata privilegiis,  
multorum motuum causam dedit. nun-  
quam satis concordi potentia, quæ ad unum,  
vel plures, aut omnes tota non pertinet. In-  
surgentibus enim principibus, populus con-  
tra niti cœpit; non passus vim minorum  
intendi, quorum jugum jam exuere cœperat.  
Brevique ostendit, nullum majus esse privi-  
legium, quàm carere omni privilegio, cujus  
umbrâ publica tranquillitas sæpe illuditur.  
Sed hæc ipsa Principes ab initio benignius in-  
dulserant, ut immunitatis dulcedine anima-  
rent multitudinem ad opificia, & exterarum

*Status  
Belgici  
brevis de-  
scriptio.*

gentium commercia elicerent. Nec fefellit, hæc moderatio dominationis magnum quoque incrementum dedit. Quippe ibi populus, & divitiæ, ubi & libertas. in tantum brevi potentia crevit, ut etiam formidolosa haberetur Principibus suis, nec iisdem artibus quibus erat elata, deprimi posset. Post multos deinde per ordinem successionis dominos, universa Belgarum sceptrâ in Burgundicam gentem felicitas transtulit, nuptiis, pactis, successione, & fortunâ ad omnia prodigâ. tunc cum sub uno spiritu, unoque rectore, ad terrorem Europæ circumferrentur Belgica signa, statim quoque popularis licentia cessit, magnitudine potentiæ debilitata, & timore compulsâ ad reverentiam obsequii. simul ad imaginem regni adunatæ provinciæ, in unum quasi reipublicæ corpus formamque coaluere. Status autem habitusque talis erat. Porro titulo alio, atque alio, omnes tamen unius nuntum intuebantur. Penes eundem pacis, bellique arbitrium, & administratio erat. Militiæ nomina dabant, non lecti, aut iussi: sed voluntarii. Namque populus olim ad pacem mitigatus, stipendiorum collatione vacationem redemerat. Lætis Principibus, & augmentum potestatis libenter retinentibus. quippè sordidâ adulatione exoluti, nec à libidine, vel ingenio plebis pendentes, vim armorum, hoc est; materiam facemq; seditionum turbidæ multitudi-

titudinis audaciæ eripuerant. Subsidia & tri-  
 buta Ordinibus imperabantur, non promi-  
 scuo jure veluti in solutis regnis: sed consensu  
 civium, hoc unum ex imagine libertatis reti-  
 nentium, ut peteretur, quod negari jure non  
 potest necessitatem æstimantibus. Ordines  
 autem constituiebant delegati cujusque pro-  
 vincia, quos ex ecclesiasticis, nobilitate & ci-  
 vitatibus suffragia elegerant. Aerario principis  
 senatus præerat. Finantiarum nomine desi-  
 gnabatur. quem duo præfides (vulgo capita  
 nominantur) cum thesaurario & præfectis ali-  
 quot constituunt. patrimonium, & domesti-  
 cas principis opes, simul & ingentia tributa  
 curabat. Judicia magistratibus permiffa. Ne-  
 cubi tamen Justitia gemeret, provocatio pla-  
 cuit ad supremas curias provinciarum. Vnde  
 ad Mechliniense tribunal à plerisque recurri-  
 tur. Gentis proceres provinciis præerant, gu-  
 bernaculis urbium admovebantur, legioni-  
 bus imperabant, populum in obsequio prin-  
 cipis; & subinde principem in metu tenebant  
 benevolentiam populi diuturnitate victam. Mi-  
 norum gentium nobilitas per urbes sparsa, at-  
 que diffusa, cum plebe magistratus implere,  
 suæ quisque patriæ operam dare, præsidio ef-  
 se, incrementum quærere. Populus suis vive-  
 bat legibus, pace adultus, commerciis po-  
 tens, obsequium principi, inter libertatem, &  
 servitatem. Cæterum Carolo Cæsare in lon-

ginq̄ua abstracto, tantum imperium à Mariâ  
 forore videbatur aptè regi non posse, quàm si  
 cum multis communicaret consilium. Se-  
 natum igitur excitat, qui de statu rerum, hoc  
 est; de bello, pace, fœderibus Principum, præ-  
 sidiisq̄ue & munitioibus deliberaret, & ob  
 id Concilium Status appellavit. Proceres  
 gentium ut plurimum citrà numerum assu-  
 mebantur. proceres, quod commilitio Cæ-  
 saris assueti, tamen procul illo agente ab ad-  
 ministratioe non exclusi, absentiam & de-  
 siderium principis per speciem fallerent. gen-  
 tium verò, ne peregrinorum odia in seditio-  
 nem erumperent. an quod imperia patienti-  
 us populus ferat, quæ à suis proficiscuntur?  
 Huic Concilio Princeps præerat, aut Guber-  
 nator. Rebus quoque civilibus curiam ape-  
 ruit. Præsidem ei imposuit. Concilium San-  
 ctius, aut Privatum nominavit. Privatum e-  
 nim cum Principe expendit arcana imperii.  
 Apud Græcos olim apocleti vocabantur. Per  
 hos provinciarum, urbiumque querelæ, at-  
 que discordiæ plerumque dirimuntur, diplo-  
 mata edicta, & rescripta, abolitiones quoque,  
 & indulgentias, ut & alia quædam Suprema  
 in Belgio Concilia expediunt, atque omnia  
 ea quæ supra leges, citrà tamen injuriam prin-  
 cepti potest. Nece potentium dignitas fuit,  
 sine respectu generis, sine curâ ambitionis,  
 duodecim primo assumpti sunt, quos fama,  
 & vir-

& virtus, legumque studium supra vulgus  
 evexerat. nunc pro regnantium arbitrio nu-  
 merus constat. Interjecto Cæsar tempore  
 provinciarum habenas in filium transtulit,  
 onustus senectute, ægróque corpore, & fessus  
 longâ potentiâ. Philippus ergo inter initia  
 imperii, vim omnem principatus ad se revo-  
 cavit. salutari more potentiam repetens, quâ  
 subinde præceres assuetudine imperandi ig-  
 navis dominis totam eripiunt. Bellum ad-  
 versus Gallos supererat, assiduos hostes, & ut  
 ita dicam prope hereditarios. sed quo interim  
 vacuum foret de pace agere, annorum quin-  
 que inducias condixit. Quas paullo post  
 Gallus fregit, & manifestius quàm ut à scele-  
 re excusari possit. Ingenio velox, pœnitentiâ  
 mobilis, ad pacem, ad bellum perinde subi-  
 tus. Et nunquam postea aperto Marte, nisi  
 infeliciter dimicavit. scires curæ esse Deo ul-  
 tionem. Sed mutuis vulneribus fatigati, cum  
 uterque sibi confideret, neuter frangeretur  
 ad tranquillitatem respexere; ultimum sem-  
 per lassus, vel exhaustis refugium. Hinc à  
 pace mihi initium historiæ. sine amore, sine  
 odio partium. quibus hæctenus vitiis maxi-  
 mè laboratum est. Multi sterilitate littera-  
 rum, plerique inscitiâ genii tam regionis,  
 quam populi & reipublicæ; plures tamen  
 religionibus vel infensi nimis, vel nimis ob-  
 noxii. Mihi sacrorum cultus, quem à majo-  
 ribus



ribus accipi, non adimet libertatem, quam felicitas temporum promiscuam fecit.

M<sup>CC</sup>LVIII  
Pax cum  
Gallis cō-  
ponitur.

Gallus ergo presentium rerum fastidium conceperat. Læto amoribus, venustisque studiis ingenio, & horum loco adversa fortuna armorum statim tædium fecit, & pacem quam bellum malebat. Similis querulo, quod tam frigidè à Paulo Pontifice exceptus fuerat cum Guisio exercitus. Nec eundem videbat in bellum instructum, cuius impulsu causaque, pacem ruperat. Et sine dubio Pontificis cervicibus vires Hispanorum graves erant: at si frangerentur, Gallorum mores suspecti. Proinde (ut fertur) non causæ, non studiis partium; sed nec amoris reipublicæ bellum dederat. contentus inter se commisisse reges, ut utroque lassato, & ad pacem respiciente, Etruriam ipse, tanquam adhuc incertæ possessionis sibi auferret. Et hinc promissa extrahere cœperat; satis gnarus, non bello magis, quam morâ belli Gallos consumi, qui victoriam omnem in impetu constituunt, cuius statim obliviscuntur, ubi in externos exundant. Proinde Gallis tam ingentes conatus in Italia frustra expertis, postremæ duæ clades cum interfectione nobilitatis, de supercilio eorum mulrum detraxerant. Sed præcipuus concordie auctor Annas Montmorancius, Magister equitum, seu Franciæ Conestabilis, regii exercitus prætor. Sancto-Quintino prælio in Belgia-

Belgarum manus venerat. dein convento  
 pretio remissus, spem, & fiduciam pacis, quam  
 captivus fecerat, liber non abjecit. Huic uni  
 viro bellum adversus Philippum semper dis-  
 plucuit. solus omnium suaserat, Regi, ne fera-  
 lem Gallis repeteret Italiam, equites se transi-  
 turos Alpes, ut pedites inde reverterentur af-  
 firmans. Nec e contra Philippus abhorre-  
 bat à concordia. ingenio ad tranquilla prom-  
 ptiore, & alienis magis armis, quam pro-  
 pria voluntate, ad bellum compulsus. Nam  
 & Carolum patrem extinctum accipiens,  
 animum cogitationemque ad Hispaniam  
 appulerat. Et hinc proclivior ad tranquil-  
 litatem temporum, cujus ante desiderium  
 conceperat. Sed in pari Regum voto, ne-  
 mo erat qui prior loqui vellet. Pudebat  
 confessione propriae infirmitatis victorem  
 hostem facere. Inerat magnus utriusque ani-  
 mus. & accessione Italicarum virium, par-  
 jam victori victus exercitus. Cunctantibus  
 ergo publicam calamitatem extinguere pri-  
 vatam verecundiam, Christierna Lotharingi  
 vidua concordiae mentionem injecit. Pru-  
 dens, & virilis animi mulier. Alteri regum  
 sanguine, alteri per conjunctionem filii  
 annexa erat. ac tum quidem per finitimo-  
 rum rabiem exposita injuriis, haut ægrè ex-  
 pugnavit, ut consentirent in colloquium.  
 Actumque ut circa Idus Octob. Cericam-

pum convenirent. Cœnobium est Cisterciensis Ordinis, inter terminos utriusque regni. Cardinalis Lotharingus, Ioannes Morvellerius Aurelianensium episcopus, Anna Montmorantius Conestabilis, Iacobus Albo Sancto-andreae, tribunus militum sive (ut dicunt) Marechalus, & Claudius Albaspinæus Secretarius, ab Henrico rege præmissi, & ut cupidiores pacis viderentur, Philippi caduceatores paullo diutius expectavere. A Philippo autem hi succedebant, Antonius Perenottus Granvellanus Atrebatensium episcopus, Ferdinandus Alvares à Toledo, dux Albanus, Guillelmus Nassovius princeps, Ruygomes de Sylva Melitæ comes, & Vlricus Viglius ab Ayta Suichemus præses Privati Consilij. Ante omnia caduceatoribus placuit dimitti utrimque exercitus. ne proximus armorum strepitus, tam salutare turbaret commercium. At ne tunc quoque dilationem Gallus fecit. equitibus domum remissis, pedites in præsidia distribuit. curam deducendorum Germanorum Nivernio tradidit. Nam & Philippus jam in Atrebatibus exercitum dissolvebat. Magna pro Sabaudia contentio fuit. Gallus per successionem aviæ ad se trahens, & quod omni iure potentius est, præmio victoriæ retinebat. Multum ex adverso Thomâ Langusco Stropianæ comite, ac Præsidente Astensi pro Phileberto nient-

rentibus ; non armis in hoc contendendum esse ; sed forum ex more , legesque respicerent. Nec displicuit Gallis resumere cognitionem. at longè aliud poscebatur , ut patricis civitatibus pignori relictis , sua Phileberto restitueretur possessio. Sed hoc ipsum à Gallis contumaciter negabatur. Nec aliter quàm in gratiam Margaretæ sororis Henrici Regis Philebertus postea obtinuit , quam se in uxorem ducturum spondit. Tota igitur concordia moles circa Caletum fuit , urbem in Gallico littore positam , multis ætatebus Angli infederant. quæ longa possessio effecit , ut veluti suam constantius vindicarent. Gliscebant inter partes certamen , & neuter remissurus aliquid videbatur de pertinaciâ : cum Philippus , & ipse de pace desperans , Comitem Fria dimisit in Angliam , ad percunctandam uxorem Mariam , an mercari pacem vellet , quæ sine damno ejus componi non posset : si bellum haberet in animo , nuptiis Elisabethæ sororis in spem successionis regni sui Sabaudum adoptaret , ad quem jam potissimum detrimentum omne armorum perveniat. Sed medio tempore Maria decessit. cujus mors colloquium fœderis in tempus dissolvit. Elisabetha verò sceptrum adeptæ , & semper per dissimulationem dubia , tanquàm alicui nuptura , primum externis , deinde & domesticis , postea omnibus imposuit. seque & regnum hac arte egre-

egre-

egregiè tutata, ubi invidiam superatam vidit  
 nuptiarum æmulos sensim sustulit. tantaque  
 gentes, vix hodie patienter uni viro obede-  
 entes, femina, quod mirè, tot annis in pro-  
 fundissima pace continuit. cui nihil dulcius  
 regno unquam fuit. quod ne alteri trade-  
 ret, omne matrimonium despexit. Sunt qui  
 velint ad nuptias ejus intendisse Regem Phi-  
 lippum. Cujus rei certum auctorem non ha-  
 beo. nisi quod Gallos acceperim, sollicitasse  
 summum Pontificem ne gratiam affinitatis  
 Philippo faceret, vel disturbaret consilia ejus.  
 sed inani suspitione correptos existimo. nec  
 enim Reges alio affectu sapius peccant; qui-  
 bus semper formidolosa est aliena felicitas.  
 Cæterum post Calend. Febr. resumtæ sunt  
 conditiones fœderis. Et jam prona omnia  
 fortuna fecerat. Elisabetha consilii ambigua,  
 sed ad stabiliendum sceptrum recens parrum  
 convenire pacem rata, simul metuens offen-  
 sam Philippi, quod sub initia regni liberta-  
 tem religionis vulgasset, cum Henrico ipsa  
 per legatos de Caleto transiit: ut in annos  
 octo Gallis cederet. restituerent deinde; vel  
 quinquaginta aureorum millia penderent.  
 in hoc legitimi obsides traderentur. Resti-  
 bant ergo Genuenses, Cosinusque Medi-  
 cæus. involuti & ipsi contagio alieni belli.  
 quia societatem Hispanorum palam indue-  
 rant. alter eorum Senas tanquam suas; illi  
 Corfi-

Corficam repetebant. Nec tam ingentia armorum præmia Gallus ægrius dimisit, quàm ceperat. vna dies, vna hora, vnus calami ictus tot victorias repenti abstulit. adeò vt quidam dicerent, sic pacisci Gallos, quasi nunquam bellum essent habituri. Elisabetham Henrici regis filiam Philippus sibi iuncturus erat. & hoc plerisque satis videbarur ad securitatem. prorsus quasi necessitudo fidem tueretur, quã religio non poterat. vsus certè comprobavit, affinitatem principum ad miserationem erga oppressos satis validam: inter æmulos, & infensos odia non minuere. quippe speciem magis amicitia, quàm vim retinent, pacemque & bellum æstimant ex temporum ac fortunæ ingenio. sed & sanguinis pignora, suorumque matrimonia, & sacramentum pro vtilitate ferè dispensant. In cæteris iustitiam, in regno fidem, aut naturam non agnoscunt. Leges pacis hæ convenere.

*Pacta Madriti, & Vallicellis inita, firma, rataque sunt, nisi aliter convenit.*

*Pax solida, æternaque concordia, bonâ fide inter reges tanquam fratres coito; quam non obtentu Turcici foederis, non aliter ledere, vel offendere, liceat.*

*Fidem invicem præstanto Romane religionis curam acturos, daturosque operam, ut œcumenicum concilium celebretur.*

*Esto vtrimque præteritorum oblivio. esto liberum commercium. nulli fraudi sit sterisse in partibus. bona*  
in eam

in eam causam publicata, vel distracta restituntor,  
demtis tamen Neapolitanorum, Siculorum, atque In-  
subrum exulibus.

Oppida ab hinc octennio capta, vtrunque reddu-  
tor. Gallus Theonvillam, Marieburgum, Ivofiam,  
Danvillerium, Montmedium, Valentiam Insubriae,  
ejusque arces, & castella: Philippus vero Sancto-Quin-  
tinum, Hanum, & Castelletum.

Eo statu quo nunc est Terouana restituitor. Ives-  
um manibus nudator, alterutrum munire jus non esse.  
non arcem, non propugnaculum in proximis mille pas-  
sibus exstruere.

Ditio Carolatensis, cum Hefdino ad Philippum  
spectato. Delfinus Gallie in Crepacordij possessionem  
admittitor; salvo jure Crunij toparchæ.

Philippus Elisabetham regis filiam matrimonio ad-  
jungito. trecenta aureorum millia dos esto.

Emanueli Phileberto omnis Sabaudia, trans, cisque  
Alpes redditor. Augusta Taurinorum, Pinarolum,  
Clerium, Clavassium & Villanova loco pignoris à  
Gallo retinetor, quoad de jure successione pronuntia-  
tum fuerit. interim & Vercella & Asta Hispanorum  
presidiis occupantor.

Dux Sabaudia neutralis maneto. Margaretam  
Regis sororem in vxorem ducito. trecenta aureorum  
millia cum vsufructu principatus Bituricensis dos  
sunt.

Gallorum Rex presidium Etruriæ educito. patricij  
Senenses, alijque ad Ilcini-montem profugi restitu-  
untor. si imperio audientes fuerint bona his redduntor.

Gallus

Gallus Corsicam, & qua in Liguriâ occupat Genuensibus restituito. Genuenses econtra ejusdem Regis amicitiam colunto. militiam ejus secutis, & proscriptionis pœnam remittunt.

Arx Bullonia Leodiensium episcopo restituitur. negotium Sedanense excipitur.

Lusitana dote maternâ securè fruitur.

Quidquid alteruter Monserrati occupat Guillelmo duci Mantuae restituito. arces & munimenta à se exstructa cuique diruere jus esto.

Maria Borbonia Fano-Pauli securè fruitur, salvis aliorum actionibus.

Gallus intra proximum trimestre prior pacta exequitur. Inde Philippus post alterum mensem fidem præstato. obsides interim tradito.

Is demùm annus III. Non. April. Potentissimos validissimòsque Reges, veriùs lassavit, bellumque magis, quàm bonâ fide diffidentiam, odiâque sustulit. In Castro Cameracensi conditiones hæ convenerant. & hinc pax Cameracensis vulgò dicitur. quæ Pontificè, Ferrariensem, Mediolanenses, Etruscos, Neapolitanos, Siculos, Genuenses, id est, propè totam Italiam tot annorum bello absolvit. quorum causa, Belgas, simul & Hispanos & Anglos, cùm Gallis commiserat. At Senesibus libertatis infeliciter auspicate finem attulit. quam pleriq; exules etiam tùm à Gallo incassum repetentes, sanctitate fœderis repulsi sunt. Cæterùm & Pontifex, & Cæsar, & Electores, tetrarchæ,  
civita-



civitatesque imperii; simul Polonus, Dantus, Suevus, Anglus, Scotus, Veneti, Helvetii, Rheti, Sabaudus, Lotharingus, Parmensis, Ferrariensis, Mantuanus, Genuenses, ac Lucenses, breviter, tota Europa fœderi adscripta. prorsus ut non cum una gente & pugnatum hactenus, & compositum: sed in unâ gente totus Christianus orbis, & concussus, & sedatus videretur. Paullò post conditiones Galus implevit. Albanum, Auriacum, Egmondanum, & Arschotanum obsides habuit.

*MIO LIX.  
Stylo veteri  
Rex Philippus  
Gubernatrix  
Belgicæ  
imponit.*

Hinc conversus ad pacem Philippus, primum omnium paternis manibus ingenti pompâ Bruxellæ parentavit. Mox navigaturus in Hispaniam, provincias ordinat, statumque reipublicæ componit, ac firmat. Sed eum maximè agitabat, quem cum potestate summæ rerum, ac gubernaculo præficeret. Imperator Ferdinandus pro Archiduce filio haut obscure ambiebat. Auriacus & Egmondanus rumoribus populi maxime destinabantur. neutrum tamen in sermone Rex habuerat. non quod factiones metueret ex æqualium invidiâ, atque inde discrimen: quamvis hoc quoque spectaretur. at quia magnatum potentia, aliâs gravis, & semper nimia, periculum accerseret; ne quod ex alieno sumerent arbitrio, ex suo deponerent. Cuncta scrutanti, optimum visum, paterno exemplo gentis suæ feminam Belgis imponere. Animus huic sexui

quan-

quantum vis impotens; tamen ad res novas vi-  
 debatur meticulosus, ac mollior. Nec dubita-  
 batur, quin tantæ familiæ splendor, ac maje-  
 stas, tot illustrissimis Belgarum proceribus  
 venerationem incuteret. Secretò agitatum de  
 Christiernâ Lotharingi viduâ, & Margaretâ  
 uxore Parmensis. illa quidem amitæ filia, hæc  
 ex concubinâ foror. alioquin virtute animoq;  
 & cætera pares, ac fortunâ prorsus dignâ tan-  
 to fastigio. Sed difficiliorem electionem red-  
 debant studia procerum in diversum accen-  
 sa. non amore, vel curâ reipublicæ. sua quem-  
 que spes, vel ambitio impulerat hanc, vel il-  
 lam suffragijs destinare imperio. Auriacus Lo-  
 tharingæ fautor aderat. ad strepente vulgi famâ  
 anteferendam esse, utpote Belgis acceptam,  
 morumque similitudine propiorem, cui & pa-  
 cem se debere meminerant. Ille tamen ad  
 longè aliud intendebat. jam pridem nec mi-  
 nore ambitu filix ejus Dorotheæ nuptias sol-  
 licitaverat. tunc quidem majorum ornamen-  
 tis ac stirpe imperatoriâ tumens: mox pretio  
 suffultus tanti certaminis, & veluti jure exa-  
 cturus si gubernaculi munus beneficij sui fe-  
 cisset. Nec segnius Granvellanus Atrebaten-  
 sium episcopus pro Margarita nitebatur, ar-  
 dore retinendæ potentiæ, quâ hæctenus in au-  
 lâ prævaluerat. Verumtamen ut consilio suo  
 adjiceret robur, Albanum simul in partes ex-  
 stimulat, promptum suâ sponte, & adversus

B

Belgas

Belgas satis obliquum. Erat tunc Philippo frequens, seorsim, & quasi aliud agentis sententias exquirere. quod plerisque reges sapienter factitasse legimus; ne qui in commune rogantur, in gratiam potentiorum consilia flectant, aut solita purpuratis adulatione consilia dirigant, quo principem ire vident. Albanus ergo pro more rogatus, in expedito regi suavit, *Securitatis interesse Margaretam eligi sanctimoniam vitam, fideque probatam. cuius filium veluti obsidem, maritum teneret in Italia clausum; & alioquin destitutum potentiam ad occupandum facinus. Lotharingos Belgis finitimos esse, & affinitate Gallorum, veterisque inimicitia recordatione suspectos. Geldriam denique ad se trahere. timere ergo ne fiduciam virium, & favore populi diuturnitate victo periculum faciant. maxime cum & iam per speciem amicitiae proceribus blandiantur. sacrosanctum principatus arcanum esse, neminem aliquem magnum facere, cuius fortunam in potestate non teneas. nimiam credulitatem multos perdere. suspectandum semper dominantibus qui capax habetur, & imperio proximus. Nec Christiernam accusari; quamvis vulgi rumore prodigam, atque alienigenam famam laborantem: sed humanum ingenium potentia avidum, ac per fas nefasque princeps ad profundam animi cupidinem. Ratio tam salubris consilij facile vicit, ut Margareta sine mora evocaretur, tribus subnixis Concilijs*

Conciliis rectora provincias, fatali indignatione Auriaci, qui exinde Granvellano adversus, sanctissimam hastenus amicitiae tesseram fregit, atque inexpiabile odium concipiens, venturae calamitatis fundamenta posuit.

Provincias vero inter proceres Rex divisit, ut praeter summam imperii, Brabantiam quoque Parmensis haberet. Flandriam, Artesiamque Egmondano tradidit, divitiis, armisque validissimas. Hollandia, Zeelandia, Ultrajectum, Auriaco data sunt. nauticus populus, & hancunam artem eam tempestate sibi vindicans, cujus nunc commercium unus orbis non capit. Frisia, ac Transislania Ioanni de Ligne comiti Arenbergio: Geldria, cum Zutphania Carolo de Brimeu comiti Meghemo permissa. Petrus Ernestus comes Mansveldius Luxemburgum sortitus est. In Hannoniam Ioannes Glimæus marchio Bergensis missus, adjunctis Valencenis, atque arce Cameracensi. Namurcum Barlaimontio; Insulae, Duacum, & Orcinum Ioanni Montmorantio Courruirii domino; Tornacum Florentio Montmorantio Baroni Montignæo evenere. In Transmosanos Brabantiae terminos, destinatus est Ioannes comes Frisiae Orientalis.

Ordinarias equitum turmas, (vulgo Ordinantiarum) inter magnates quoque distribuit. Hodie nomina tantum, & solatia. olim

*Provincias inter Proceres distribuit.*

*Ordinarias equitum turmas ma-*

*gnatibus  
assignat.*

flos provinciæ, vires, nervusque exercitus. si-  
ve numerum spectes, tria equitum millia fece-  
rant: siue robur, omnes electi: siue animos,  
plerique nobiles habebantur. Bello feroces,  
& ad improvisos impetus prompti, validique  
pace verò in suas quisque domos disparati, ac  
tributis exempti, ad usum præliorum sine si-  
pendio seponebantur.

*Comitis  
Hornani  
& Gran-  
vellani  
dissidium.*

Philippum Montmorantium comitem  
Hornanum mari classique Rex præposuit. An-  
te illum diem Geldriam sub fiduciâ rexerat, &  
eandem provinciam porrò affectabat. Sed  
fuere qui in eo suspectarent artes Granvella-  
ni; ut ingenium turbidum, & olim sibi discors,  
procul amoliretur à republicâ. Ac profectò  
tardè, nec sine precibus, Concilio Status ad-  
scriptum convenit. seu conscius rei Granvel-  
lanus, siue innocens fuerit: tamen suspicio-  
bus odia fovebantur, propemodum deterio-  
ra præteritis discordiis. Nam tristissimas inter  
se pridem similtates exercuerant; quarum  
causa hæc fuit. Simonem Renardum Debre-  
montii toparcham Granvellanus detulerat,  
non satis integrâ fide insolentes inducias cum  
Gallo pepigisse. Et eundem Renardum ob  
eam causam in aulâ suspectum, Carolus La-  
laignii comes tanquam suum dedecus acce-  
pit. Siquidem legationis ejus princeps fue-  
rat. Hinc contentio, mox jurgium. Solitâ  
que contagione proximos, & affines indigna-  
tio

tio corripuit. Ante alios Hornanus excanduit; naturâ suâ vehemens, & Lalaignio affinis, qui sororem illius habebat uxorem. sed postea quoque Granvellanus proprio nomine iram ejus elicit, asperavitque. Cum enim ab eo Hornanus quæreret, an sibi Geldriæ præfecturam relicurus esset Rex: & quid, (respondit ille) si sciam, an proditulum me putas tibi? Haut dubiè superba vox erat. Sed opinor irato exciderat. Hornanum tamen vehementer offendit. Itaque clam Granvellanum proscindere cœpit, actisque ejus obstrepere, donec in aperta odia erumperent. Contumelia enim in virum non inciderat ut altius absconderetur per dissimulationem, vel constantia virtutis indignationem concoqueret. Nam si discussâ opinionum caligine verum volumus, aut omninò injuriam in rerum naturâ non existere, aut in faciente esse necesse est: quia sapientis animum non afficit.

Cæterum ad firmandum religionis statum, comitia Ordinum Gandavi Rex indixit. Ipse sibi per Mechliniam iter pronuntiat. Nunquam satis de religione securus, quam supremo Concilio volebat commendare. Satis doctus, mutationem status in expedito fore, si noxiâ superstitione caperetur populus pace lascivens, & ad novandum naturâ propensus: quem magnates armatum occupando, pro suâ quisque vel egestate, vel ambitione, aut

*Philip-  
pus Rex  
Mechli-  
niam pro-  
ficiscitur.*

vindictâ , pietatis obtentu in principes exstimulant. Proinde magno animo exerceri leges jubet ; pœnasque exigi à sectariis exuti omni dissimulatione, & misericordia.

*Novos  
episcopa-  
tus mo-  
litur.*

Et pridem Franciscum Zonium theologum Lovaniensem, ad Paulum Pontificem legaverat, cum mandatis ejusmodi: Invalescere cottidie hæreticorum vecordiam, atque uti tabem proximas quasque civitates invadere. de cætero verendum, ne flagrantibus usquequaque finitimis, ipsa contagio & Belgas corripiat. Publicâ circa res divinas torpedine, & vilescente sacrorum majestate per sacerdotum incuriam. Remotiores episcopos, ut officia intendant. latius imperium, quàm ut in ordinem redigant, non genio populi, non commercio linguæ conjunctum. præsentissimum tot malis remedium, singulis provincijs assignari præfules, ac partito onere curam in angustias contrahere. Adjectaque libellum. Magnitudo Belgarum continebatur. quot archiepiscopos, quot episcopos destinaret: sedes, opes, jurisdictionem. in cathedralibus ecclesijs tres omnino theologos, totidemque jurisconsultos ac nobiles requirebat. Archidiaconos, & archipræsbyteros pro magnitudine imperij. quæ cuncta Granvelanus curiose descripserat.

*Conciliū  
status re-  
stituit.*

Post hæc ad pristinam formam revocavit **Concilium Status**, quod sub initia imperij ad se re-

seretraxerat. Ad hujus ministerij procuratio-  
nem Antonius Perenottus Granvellanus epi-  
scopus Atrebatensis, Guillelmus Nassovius  
princeps Auriacus, Amorallus comes Egmon-  
danus, Philippus à Stavele Glaionij dominus,  
Carolus baro Barlaimontius, Viglius Aytā  
Suichemus assumti sunt. At enim secretis co-  
dicillis imperat Gubernatrici, in perplexitate  
rerum & reliquos Aurei Velleris equites in  
communione adscisceret. Concilium ipsa  
cogeret, quoties videretur. ipsa præflet, suf-  
fragia exquireret, sequeretur, aut statueret,  
non quod plures sentirent: sed quod putaret  
optimum. nunc cum paucis, aliquando cum  
omnibus, sæpe cum multis, semper tamen cū  
Granvellano deliberaret, è Finātijs subinde ac  
Privato concilio vires advocando. Sic nihil te-  
merè, omnia tutò agi. singulos falli posse, ne-  
minem omnes decipere. Gomefium quoque  
Figueroam Feriæ comitem Concilio Status  
adscripterat, & in Belgio relicturus erat. Sed  
nescio quo fato mutaverit consilium. Proce-  
rum arte factum dicitur; maxime invidiā eo-  
rum penes quos auctoritas, & si deijcerentur  
externi, plus potentiæ sperantium. Nam ut  
primum Ordines Gandavum convenēre, non  
uno prætextu alium ab alio diversos admo-  
nebant, *ne sinerent prodi libertatem publicam.*

*Pessimo consilio subiugari provincias. Externo-  
rum dominationem sensim insurgere. adeone*

B 4

*effectam*Ordines  
Provin-  
ciarum



instigantur à proceribus.

esset patriam, ut reipublicæ Senatū suppeditare nequeat? an provincialium fides periclitata esset, nisi in Conciliū peregrini veniant? Comitum Ferie Senatū Status adscriptum. Quantum abesse, ut omne provinciarum regimen Hispani in se transcriberent? à patriis honoribus Belgas excluderent? & ad similitudinem victarum gentium curulis imperarent? Primas dominandi spes in modico. Vbi semel processerint paullatim insurrecturos, atque ad se tracturos omnia. Quid enim illis cum his provincijs? nisi ut arcana imperij scrutarentur, ac dominandi licentiam à suâ cupiditate in patientiam Belgarum transferrent? sensimque populum assuescerent, non tam Regi absenti, quam genti servire in quâ Rex degeret? adesse Hispanicas legiones, & in presidia distribuere, tãquam sua patria Belgis tutò credi non possit. A provincialibus stipendia exspectare. & sic nullum tributorum finem fore, manentibus semper exigendi & conferendi causis. nepe ut quod nunc voluntatis, & liberalitatis esset, in necessitatē, dominiumque verteretur. pudendum sibi, pudendum populo servitiū; cum nihil civium oculis nisi Hispanicum occurreret, atque omnia externa. Meminissent ergo missionem exposcere, jam pridē promissam. Et hoc potissimum Ordinibus convenire. Pronis auribus hæc accepta. & certatim inclinatio animorum sequebatur. Inflammantibus insuper Antverpiensium querelis. Nam & Atrebatenses adversus insolentiam militum orabant auxiliū. Cæteris quoque promissam missionis

sionis spem in suum ludibrium recedisse murmurantibus. Igitur inter se de remedio consultabant. Præsentissima materies ad resolvendam vim principatus, cujus rationem quam singuli non audent, omnes exigunt; & nihil magis unquam dominantibus displicuit, quam ex totâ gente concilium. Fremebant omnes tuendam libertatem. Plerisque addentibus, si promissâ missio non procederet, revocanda esse tributa indecem annos indulta. Alii revolvebantur ad privilegia sua, & hoc ipsum acerrimum telum adversus licentiam principum.

Philippus interim Rex magnâ curâ justa persolvebat manibus Henrici Gallia Regis, paullo antè miserabiliter extincti. Inter ludos Rex Philippus Gallia Regi parentat. hastiles cum comite Montgomerio III. Cal. August. concurrentis, dextro oculo vulnus acceperat unde statim ex equo collapsus exanimis, sequentibus Nonis exspiravit. Cujus morti Philippus ingemuisse dicitur. Sed & Andream Vesalium, de salute ejus sollicitus, in Galliam dimiserat. Erat enim nobilis medicus, Philippum sequens, natione Belga, qui non solùm illius ætatis genium; sed ferè omnes ante se mortales humani corporis peritiâ superavit.

Hinc aurei velleris solemnia Rex celebrat. Aurei Velleris equites creat. In cujus Ordinem assumpti sunt Franciscus Rex Gallia, Guidobaldus à Monfeltre dux Urbini, Marcus Antonius Columna dux Pa-

liani, Philippus Montmorantius dominus Ha-  
chicourtius, Balduinus Lanoius dominus  
Tourcoignii, Guillelmus Croyus marchio  
Rentei, Florentius Montmorantius baro Mo-  
tignæi, Philippus comes Lignius, Carolus La-  
noyus Princeps Sulmonensis, Antonius Lala-  
gnius come Hoochstratanus, Ioachimus baro  
Nieuhausius, Cancellarius Bohemix.

Oratio  
Granvel-  
lani ad  
Ordines  
provin-  
ciarum.

Ingressus inde conventum Ordinum ex  
more suo pauca locutus est. sed sermonem e-  
jus Granvellanus excipiens, eiusmodi verba  
fecit. *Optandum erat Regi, parta jam pace frui  
posse, ac vobiscum unà diutius in commune conside-  
re. sed nutantia alibi sceptrâ invitum abstrahunt.  
Hispania novo Cæsaris imperio non sat firmata, si-  
ne Rege diutius esse non possunt. Seditionis consi-  
lia apertius agitant, quam aut fallere possint, aut  
contemni debeant. Præsentia majestatis hanc ul-  
lo negotio dissipabit periculum adhuc incipiens, ca-  
teroque fortè noxium. Vos interim nisi spectatos  
haberet, hortaretur ad constantiam. Sed nec ve-  
stri mores, nec fiducia ejus patiuntur. Dubitare  
nefas, similes adhuc vobis, id est; an Belgæ sitis.  
Fidem, & obsequium, nec per metum, hæcenus re-  
tinuistis. Quam cetera nationes in Principe fortuna-  
nam, vos in fortuna Principem reveremini. Sed  
hæc laus ita manebit inculcata, si sæda sectariorum  
contagio non obliteret. nec id vestro; sed rei vitio,  
quæ sine concussione status non invalescit. Reliqua  
scelera nocent singulis. hoc unum armatum est in  
perni-*

perniciem universi. Aliorum exitus vos docere possunt, quàm fragile sit imperium quod religionis turbine quatitur. Remissio legum Germaniam perdidit. Providendum vobis est, ne eadem indulgentia & Belgium corrumpat. ut tolli sectarij possint, puniendi sunt. Bonis nocet qui pepercit malis. remedium erit in ceteros, si unus, atque alter in exemplum veniat. Enimverò Princeps edicto pridem intonuit. sed peccavit, si in hoc leges dedit, ut per silentium, & secordiam iudicum populus disceret licentius transgredi. aut exercenda pœna sunt, aut impares eritis flagitiis. Et quidem si satis esse crederet supremis Conciliis hoc ipsum mandasse: hodiè sollicitudinem, fidemq; vestram nequaquam imploraret. sed in magno discrimine non satis prospicitur. Nimiùm firmari non potest cui sceptrum nituntur, & imperia serviunt. De cetero, in omnem ipse partem sic prospexit, ut nisi quod sine illo eritis, abesse non sentietis. Et quoniam Sabauda ad sua regressus est, Margaretam sororẽ in duos annos gubernaculo substituit. Carolum filium daturus vobis erat, si eius esset ætatis, qua librare posset imperij corpus tot periculis septum. Belgam tamen legit, recturam Belgas. ita ut quoties discrimen impenderit, coram eundem habituristis & Principẽ, & imperatorem. Nec antè ab illo, quàm à periculis destituemini. Vos interim cultum, & reverentiam quam debetis Principi, deserite gubernatrici: & quanti illum facitis, in hac ostendite. Reliqui veneratione, & silentio; Syndicus Gandavensis (quippe sic cõvenerat) Ordinum

num

Ordinum  
responsio.

num nomine gratias egit benevolentiae Regis  
Ceterum, inquit, idem animus futurus est tuus  
qui fuit semper, ad religionem constans, quia pro  
Principe pertinax. Et tamen Deus avertat ne  
interim si irrueris, paratos habebis ultores. Si-  
mus quidem quod nec id ipsum imperaturus fuero,  
si in tuâ esset potestate, sollicitudini, quam volupta-  
tibus, otioque mensuram ponere. Quippe haec sumus  
& religiosi legum custodes, & acerrimi vindic-  
sumus. Veruntamen constantiam nostram paulo  
ante extulisti supra mortales. Pudori nostro grate  
praconium: sed ex affectu tuo natum, cuius fiducia  
audebimus petere à maiestate tuâ, ut alienigenas  
elimines, qui tanta laudis gratiam inutili mo-  
ra infringunt. Quid obsecro ad hanc rem publicam  
peregrina nomina? nunquid nos ut cetera natio-  
nes inconstantia, aut stoliditatis arguant? At  
ne externo quidem opus praesidio in pace sedentibus,  
fides nostra faciet ut stabile, firmumque sit imper-  
rium. Benevolentia populi optimus regni custos.  
Vanum est in pace alere, propter quod pacem feci-  
mus. sic lenior pace Mars erit, quia tum necessi-  
tas patientiam acuit, in tranquillitate calamitati-  
bus succumbimus. An externos credis temperaturos  
ab injuria, quos praesentia Regis sui in modestia  
non continuit? ecce Antverpienses, Atrebaten-  
sesque, & Cameracenses de vi conquerruntur. The-  
onvilla, ac Marieburgum deserta oppida. Pacem vero  
fecisti, non ut ibi solitudinem relinqueres, quae tamen  
ex magnâ parte manebit, si depopulatores istos non  
eduxeris.

eduxeris, Belgica praesidia imponens. Forte tamen  
 Gallorum inconstantiam, jam ante prospicis. Recte  
 id quidem, sed fama longe bellum praecurrit. Interim  
 quid attinet magno are peregrinos redimere, in alie-  
 no semper rapidos; & tanquam mox abituros, spo-  
 lia intendentes? supersunt validi Belgarum mani-  
 puli. haec sunt praesidia, quorum virtuti Caesar gra-  
 vissimis temporibus rempub. credidit. cur jam dam-  
 netur illorum fides, quam per tot saecula in viola-  
 tam praestitere majoribus tuis? tantisper autem bel-  
 lum protrahet, donec externa gentes sub signa con-  
 veniant, aut e proximo concurratur ad auxilium.  
 Fulminatus est Rex improvisa ex postulatione,  
 admiratusque novitatem exempli, iras-  
 ceretur ne haut facile dixerim. Nec dubio,  
 arcana imperij tentari senserat. confestim ta-  
 men descendit e folio. Dixisse quidam ferunt,  
 num & se exisse vellent qui Hispanus utique  
 sit. Simul extra curiam se proripuit. Nulla  
 tamen postea iracundiae signa ostendit. Dux  
 Sabaudiae pervicaciam Ordinum verbis ca-  
 stigavit. Nam in illum diem vicarium im-  
 perium gesserat. Et mirari se ajebat tam pro-  
 caciter interpellari principem, qui praeteritis  
 comitijs fidem praestitisset suam. certiora pignora  
 dare non posse, pollicendo sancire Reges. nec eorum  
 aliam esse cautionem. Detur ergo justum esse quod  
 peterent, interim non frustrari desideria Ordinum.  
 tantum expectarent in alterum vel tertium  
 mensem, saltem donec in Hispaniam venisset  
 Rex,

Rex,

*Rex, ubi stationes & hyberna assignaturus est legionibus, quæ præsens locus ostendit melius.* Serò quidem Ordines pœnituit, iracundiam Regis veritos. Sabaudum tamen hortati sunt, ut causam provinciarum ageret.

*Rex è Belgio solvit & in Hispaniam navigat.*

VII. Calend. Septemb. Vlissingâ Rex solvit. Comitem Feriæ secum unâ reduxit, & nequam querelæ materiam, procul se agente, in provinciâ relinqueret, externorum præsidia post sextum mensem in Italiam revocavit, arcesque & gubernacula civitatum provincialibus tradidit. In comitatu ejus pauci è Belgis fuêre. Hornanus classi præerat. Carolus Tifinacquijs à consilijs Belgicis futurus Regi: Iodocus Cortevillius à secretis.

Hinc varii sermones per omnem provinciam, plerisque laudantibus Regem, plerisque arguentibus, prout cuique amor, odium, aut ingenium erat. Prudentiores tamen causam abscessus, statumque reipublicæ expendebant. Regem quidem necessitate actum in Hispaniam velificasse, quæ tot sceptramagnitudine caperet: unde Italiæ commodè prospici, Indiæ contineri, atque ex opposito Barbari compesci possint. Seditiones verò obtentui sumptas, quò facilius imponeret populo, cuncta rapienti in deterius. Neutiquam tamen res in Belgio tutas esse, turbari facile ac misceri posse, principe in Hispaniis continenter agente, crudoque ad longinqua imperia,

peria. qui non sæculi vitiis, non ingeniis hominum æstimatis, arces, præfidia, civitates, provincias, hoc est; præmia defectionis optimatibus prodidit. Quid enim sequetur, nisi ut populus in unius Regis sui reverentiam antèintendus, nunc propiore spe, atque utilitate suis præfectis veluti principibus sensim assuescat, ac consurgendi fiduciam, viresque sufficiat? Formidabiles revera quorundam opes. & hos quoque in Concilium Status adscitos, ut intutæ potentiæ adjicerentur vires publici consilii. Sapienter eos dixisse, qui suasissent Regi, ut suæ gentis Proceres aliquot, quorum fortunam haberet in manu, cum auctoritate in Belgio relinqueret; qui Procerum acta specularentur, & non sibi, sed Regi cogèrent administrare rempublicam. Æquum fortè multis videri, ut Belgæ relinquuntur legibus suis, sine peregrino magistratu, sine externo exercitu. sed hæc ipsa in provinciarum perniciem quandoque redundatura, otii ebrietate, ac longa pacis segnitie.

Profecto Rege luxuriare cœpit Belgica felicitas, crescentibus sensim divitiis quibus  
 MIDLX.  
 Stylo veteri.  
 segura pax viam aperuit. Divitias autem sua excepere vitia; hoc est, superbia, lascivia, luxuria privatorum, & magnificentia principum.  
 Initium discordiæ inter Proceres.  
 Inter Proceres statim gliscebatur æmulatio: quæ præsentiam Philippi Regis haut ægrè  
 com-



compressa, eodem absente sine retinaculo erumpebat. Plerique Granvellano infensi, criminabantur potentiam sibi gravem, multis nimiam. Et primo quidem Simon Renardus multo ante discors, veteres inimicitias animose exercebat. Sed non ultra, quam ut actis ejus contradiceret. Tacitis adhuc ceterorum odijs, & manente in speciem concordia, donec Egmondanus atrocius erumperet, nullâ vetere irâ: sed irritatus, quod Helfautij toparcham, ad Hefdini præfecturam Granvellanus extulerat; adhibitis aulæ artibus, quas optimi principes & declinant semper, & incurrunt. Iusserat Rex inter alia imperij decreta, ut ad vacua, & honorata ministeria, gubernatoribus provinciarum nominarentur tres, è quibus postea iudicium sibi, & electionem permetterent. Egmondanus ergo totidem representaturus erat Regi. Quippe Hefdinum Artesiæ oppidum gubernaculo ejus suberat. Sed ut quarto loco, at que extra ordinem Helfautium adscriberet, precibus Granvellani dederat; spondentis quidem, non ob aliud se id velle, quam ut Helfautius splendâ repulsâ Regi notus, ad futura momenta reservaretur. Detecta fraus obliquis animis accepta. sed amicorum adulatio indignationem auxit, inferendo sæpius querelas, & ambiguos de Granvellano sermones. Clientes quoq; maledicendi licentiâ insolentius efferebant;

rebant; ad læta, & tristia Procerum perinde  
semper compositi. Nec deerat Auriacus inve-  
rerato odio æstuans: Sororem Ducis Saxo-  
niæ acceperat uxorem. & has ei tedas ut in-  
faustas reipublicæ, & religionis exitium por-  
tendentes Granvellanus exprobraverat. Ad-  
hæc Lazarus Swendius homo Germanus,  
Auriacum in gratiam cum Egmondano re-  
duxit. ut qui ante illum diem inter se discor-  
des, conspiratis animis Granvellani potentiâ  
destruerent. Nam & ipse Swendius armis in-  
clytus, & magnatum amicitia subnixus, remo-  
to Granvellano altiorem fortunam præsume-  
bat animo, hunc unum sibi credens ad fasti-  
gium officere.

Tali rerum statu, cum offensi proceres ad  
ultionem spectarent, novorum episcoporum  
fama adfertur. Res haut dubiè saluberrima, &  
à multis retrò principibus frustra agitata. quâ  
plerique secordiâ, plures bello retenti, Cæsar  
quoque ob consanguinitatem amicitiamque  
circumsedentium antistitum extraxerat, Phi-  
lippo filio quasi per successionem tradens. In-  
dignum ratus alienæ gentis episcopos, lon-  
gum & secors in suos exercere imperium. At-  
que ea tempestate in Belgio quatuor omnino  
episcopatus. Atrebatensis ex olim. Torna-  
censem, Ultrajectinum, & Cameracensem di-  
versæ principum pactiones adjecerant. sed  
tot simul provinciis pares illi esse non poterât.

C

Externi

*M. I. X. I.*  
*Stylo vet.*

*Novi epi-*  
*scopi in-*  
*stituuntur.*

Externi deinde Archiepiscopi his immine-  
 bant, qui salubria illorum decreta turbare aut  
 evertere consueverant. Igitur Pius Quartus  
 Pontifex Maximus, re cum septem Cardinali-  
 bus deliberata, in tres archiepiscopatus dis-  
 crevit provincias. Designate sedes, Mechlinia,  
 Ultrajectum, Cameracum. E quibus Mechli-  
 nia dignitate eminentior, sex complectere-  
 tur episcopatus: Antverpiensem, & Silvædu-  
 censem in Brabantia: Gandavensem, Brugen-  
 sem, & Ipreensem in Flandria: Ruremondem-  
 sem in Geldria: quinque episcopi Ultrajecti-  
 no submissi, Harlemensis in Hollandia; Mid-  
 delburgensis in Zeelandia, Leeuwardensis in  
 Frisia: Daventriensis in Transsania, & Groe-  
 ningensis. reliquæ provinciæ lingua, situque  
 Gallis affines, quatuor episcopatus sub im-  
 perio Cameracensis explebant. Atrebatem-  
 sem, & Audomarenses in Artesia, Torna-  
 censem, & Namurenses. Reliquum erat ut  
 novæ dignitates honestis opibus instrueren-  
 tur. Frequens curia sub Paulo Quarto Ro-  
 mæ decreverat, proximorum monasteriorum  
 decimistria aureorum millia detrahi. Dein-  
 de repertum, ut expunctis abbatibus, episcopi  
 substituerentur. Ejus consilii auctorem Gran-  
 vellanum fuisse invidia ostendit. Et sinistra  
 de monachis fama, Pii Pontificis assensum  
 facile attraxit. Præsidentibus enim episcopis  
 in ordinem redituri credebantur, qui solutis

vetu-

vetustate moribus, sanctissimam majorum disciplinam corruerant. Præpositusq; Granvellanus ei curæ, proxima quæque monasteria corripuit. Forte ea tempestate Affligemium, sanctusque Bernardus & Tongerloa abbates non habebant, & circa eligendi successoris consilium intentos, Mechliniensi, Antverpiensi, & Silvæducenti assignat. Nam & Donfanum Brugensi, & Martinianum Iprensi, & Egmondanum Harlemensi, Margarittanumq; ac Liddanum Leeuwardensi, Bertinianum, sanctumque Gerardum Audomarensi atque Namurcensi ita addixit, ut quamdiu supervixisset abbates priorem opulentiam complecterentur, episcopis interim dotem conferrent. Gandavi S. Bavonis Præpositura erat, magnis opibus florès; nec multò divitiis inferior S.<sup>us</sup> Lævini Præpositura Daventriæ pollebat, quas utriusq; urbis episcopus ad se retraxit. Archiepiscopatus Mechliniensis Granvellano cessit. Antverpia Philippo Nigri destinata: Sonnius Silvæducentibus præficitur: Cornelius Jansenius theologus Lovaniensis Gandavensibus: Petrus Curtius Brugensibus: Martinus Ritthovius theologus Iprensibus: Guillelmus Damasi Lindanus theol. Ruremondensibus: Fredericus Schenc à Tautenbergh, Ultrajectum retinuit. Harlemum Nicolao à Terra-Nova: Daventrium Ægidio de Monte Franciscano: Leeuwerdia Cunero Petri à Brauwershavē;

Groeninga Ioanni Cnifio Franciscano evenere. Nicolaus à Castro Abbas Præmonstratensium Middelburgensibus imponitur. patrimoniumq; omne cum monachis partitus, abbatiam transtulit in cathedralem ecclesiã. Maximilianus à Bergis Cameraci relictus est: Carolus Croyus Tornaci. Franciscus Richardotus Burgundus Granvellano Atrebatî successit. Namurcum Antonio Havetio Dominicano; Audomarum Gerardo Hamericourio abbati Bertiniensi contigit.

Hanc mutationem rerum adversus rumor excepit, quem pro diverso animorum motu multi explicabant. Procerum pars Granvellano infensa, & adeptâ materiã ad criminationem vertebatur. Inde & contagionem attraxit nobilitas magnis potissimum domibus annexa. Nam promptissimus quisque adulatione, & obsequio, honoribus colebatur. sed & populus statim exarsit, irritatus acerbo multorum sermone, vagis auctoribus sparso, tanquam in privilegia impingeret Rex, quod sine Ordinum cõsensu eiusmodi novitatem induceret. aliud specie præferri, aliud re agi. Granvellanum hominem arrogantem & Hispanis obnoxium; ac Hispanos dominationem cogitantes, hæc ipsamolari, qui per artem intruderent episcopos, ut atrocitatem Inquisitionis inferrent. Nec dubitabatur, quin confestim res theologî, nobilesque, & totidem jurisconsulti

sulti in cathedralibus ecclesiis ad canonicatus subveherentur. Duo ex his Inquisitioni præfutura erant. Inquisitores vocarentur. reliqui verò Assessores. quippe ea cuncta Romani Pontificis diploma promiserat. Credulitatem juvère monachorum querelæ, in deterrius cuncta trahentes. & has passim jactas, temere creditas, inquieta multorum, & fecunda rumoribus ingenia, cottidie in auctius differebant. At profundâ irâ Auriacus Proceres alium ab alio diversos aggrediebatur, novorumque episcoporum consilium arguebat. simul & Granvellanum onerabat ingenti invidiâ. Erat enim ingenio solers, & demerendis hominibus apto. splendore familiaræ, juxta opibus potens, quamvis plerumque falsa, & inania ingereret, tamen cum fide audiebatur. Quippe multis opinionem fecerat penetrasse se in arcana Regis, cujus innocentiam modestè criminabatur; fluxam illi fidem, nec Principe dignam. peregrinis consiliis imbutum, & Granvellano obnoxium, in summo imperio, non nisi imperium cogitare. Inde plerique fastidire Regem, cum potissimum jactaretur, abrogationem privilegiorum imminere à Principe Belgis infesto, in quorum exitium Inquisitionem induceret. Multi proinde Granvellani acta propius expendere, amicitiam, congressum, familiaritatem exuere; qui contra nitens, & spernen-

dis rumoribus validus, archiepiscoporum Mechliniensem nihilo segnius auspiciatum ibat. Annotavere curiosi, neminem ex Proceribus extitisse, qui honoris causâ obviam processerit. sive tamen neglexerint, sive aspernati sunt officium honestatis, novi sermonis irritamentum fuit.

*Granvillanus in Ordinem Cardinalem assumitur.*

Sed eum paullo post in Ordinem Cardinalium Pontifex adoptavit. Galerum autem ipse Rex transmisit purpuratorum insigni, ut eminentiâ dignitatis Proceribus æquatum invidiâ subtraheret, quem fastiditum omnibus jam pridem cognoverat. Nec ideo tamen invidiam imminuit, adeo difficile est hominibus conceptû semel odium exuere, cuius nullus est modus, cum semel terminum transierit.

*Sectariis studia sua.*

Cæterum antehac nihil adhuc adversus religionem proruperat. metu legum, quas olim inexorabiles, infesta Procerum dissidia resolvebant. Externorum commercia non paucos Belgarum corruperant. & hi episcopos infectandi specie, subinde religioni & ceremoniis illudebant. Jam enim mortalium omnium odia in episcopos se converterant. Execrabatur eos populus, ut Inquisitores; fastidiebant ecclesiastici, ut severissimos morum censors; monachi denique, ut bonorum suorum raptores. idem omnibus questus, ex causis diversis. miscentibus se sectariis, atque animis multitudinis tædium pristinae religionis, simul

simul & studia sua insinuantibus; propter libidinem talia loquendi impunitam, cujus exemplum Proceres fecerant. nullum enim populo majus momentum ad virtutes aut vitia, quàm inclinatio Principum, ad quorum mores ceteri componuntur. Hinc ad hæresim ne sibi quidem satis notam inclinari cœpit. occultis primùm studiis, & od id nocentioribus. Donec aliis scrutatis, pluribus conscientiam obstrictis, & ubi aderant vires, in parte religionis fuit publicare flagitium.

Primus furor Tornaco erupit. circa Calend. Septemb. è secreto & latebris in apertum prodiit. Incolas ejus civitatis jus commercii Gallis potissimùm miscuerat, corruperatque. sed non aliud adhuc quàm psalmos more suo noctu modulabantur. audacia tuti, quam tenebræ absconderant. Accessit deinde ad impetum novitatis Matthæus Launoy, homo ingeniose malus, & præstigiatori similis, prurientibus facem subjiciens. Is apud Calvinum adoleverat à primâ ætate, & in illa schola studiorum suorum rudimenta posuerat. Tornacum inde accitus, multos eloquentiam seduxit, cui speciem pietatis intexerat. Emptæ furtim mulierculæ fanaticum morbum mentiebantur; quæ deinde mimicam sanitatem acceptum ei ferebant. His potissimum commentis auctoritatem astruxit. Nam è proximis urbibus, pagisque, &

*sectarii  
insurgere  
incip. unt.*



undique effundebantur homines tanquam ad miraculum. Et fuere qui sanctitatis famam ei circumdarent. ne quid deesset mendacio, centones vestium in religione habebantur, quas pro reliquiis ignari colebant, & profana manu contigisse in parte felicitatis reperuerant. Nec deerat ipse cohortari singulos, adire municipia, ubique adesse, Ministri munus exequi; neque jam occulto; sed proplam: nisi quod adhuc concionaretur in silvis, abditisque saltibus audaciam concluderet. Munia quæ ipse non poterat, obibant discipuli. qui non minori impostura eadem populum ludificabantur. sed non occultum diu mendacium fuit. Fanaticæ illæ mulierculæ, promissum operæ suæ pretium exigentes; & cum negaretur, larvam omnem detrahente. Ne quis à nobis ficta hæc esse crederet, ipse Launoî libello vulgavit. quippe postea redditus est Romanæ ecclesiæ; vanæque credulitatis vestigia sustulit. Paulo tristius Valencenæ conflagravere, Philippi Mailart, & Simonis Faveau vecordiâ accensa. obscuro & ex ultima plebe homines Ministrorum provinciam assumserant. sed flagitii comperti, conduntur in carcerem. ægredid ferebant sectarii. totaque nocte per forum & tenebras lymphantibus similes volitabant, clamoribus turbidi, & psalmodi cantilenis in vernaculum numerum traductis

lasci-

lascivientes. Sed nec abstinebant minis in  
prætozem, cujus aures crebris verberabant  
injuris, simul auxilium afflictis spondebant.  
Nec magistratus obviam ibat. plurimum vesa-  
nia audaciam excusserat. & inconsultâ guber-  
natrice, cum periculo seditionis incipere ne-  
mo audebat. Parmensis re cognitâ animosè  
leges exerceri jubet. Itaque primores civitatis  
in curiam coeunt, quam compleverant arma-  
tis; ac ne effusa opificum turba seditionem  
faceret, primo diluculo reos traducunt ad pub-  
licum judicium. Ingens multitudo ad rogam  
concurrit, quem in foro excitaverat licitor.  
Iamque eò quoque damnati producebantur;  
cùm à plerisque lapidatio urgeri cœpit. dein-  
dè ira pervenit in rabiem. imperûque facto  
audacissimi quique violentis manibus rogam  
dissipant. itum inde ad damnatos, quos licitor  
tumultu in carcerem timidus retraxerat. effra-  
ctis foribus vincula rumpunt. carnificumque  
manibus in præsens noxios eripiunt, ut paullo  
post vecordem spiritum digno redderent sup-  
plicio. Igitur venere iudices extra ordinem à  
gubernatrice. præsidium militare ex proximis  
hybernis unâ transmissum. Feroicissimorum  
sanguine expiatum est facinus. cæteris autem  
mens obtorpuisset, jam attonitis, & sibi metuen-  
tibus, ut facile appareret vim populi in multi-  
tudine perniciosam: sparsam verò, atque solu-  
tam impune contemni.

Hæc impendentium malorum initia, seu portenta erant; reliquis gentibus fortasse terribilia: Belgis tamen non intelligebantur. Tanta animorum obstinatio fuit. Immemores alienæ calamitatis, sibi que imminentis, turbari religionem malebant, quam non arceri episcopos, quos etiam ultro in remedium expetere debuerant. At illi nihilominus ad destinatas sibi provincias accingebantur. Flandri, & Audomarenenses haut ægrè admiserunt. Silvæduceses, & Harlemenses parumper commoti sunt. Reliqua Brabantia ut ad jugum inhorruit. Forte Ordinum frequentiam solita tunc comitia Bruxellam contraxerant. Ibi abbates identidem ingerebant; *majorum mores, & privilegia pollui. episcopos in cœnobia intrudi; haut aliâ causâ quam ut primo loco sederent in comitijs, provinciarum vires specularentur, principumque petitionibus mensuram statuerent ex suâ libidine: Denique ut nihil liberum, nihil sincerum amplius esset in Ordinibus. Quem enim in comitijs liberam vocem exercere, quem recusare aliquid, aut hiscere contra ausurum? imminentibus supra caput episcopis, cujusque nutum verbaque notantibus? aut adulandum fore illis hominibus, aut spem honorum in posterum abijciendam; quando nemo deinceps ad magistratus, quam per episcopos perveniret. Iam rectores illos in aulæ voluptatibus habitos, fractosque, à monasticâ disciplinâ prorsus abhorrere. & hoc nihil aliud esse, quam perturbationem Ordinum, & confusionem*

sacro-

*sacrorum inducere. Tantum abesse ut religionis incrementum quereretur; Inquisitionis præfectos mutato in mollius nomine appellari episcopos. Per artem nunc theologos assumi; vt quemadmodum nova imperia; ita quoque egregijs virtutibus auctoritatem sanciant. Irrupturos mox aulicos illos. irrupturos alienigenarum liberos, nullo patriæ amore retentos. Qui non conscientiam, non integros mores in comitia adferrent: sed aulicorum ambitu euecti, ac dominationem cogitantes, alienæ tantum cupiditati inservirent. Neminem principum æquis oculis libertatem aspicere. vltimum in principatu semper esse regnum. Nec divitias illas totas suas esse. benignam majorum liberalitatem partim in hospitalitatem, partim in compendium pauperum contulisse. manere adhuc posteros eorum. quo animo laturos, parentum suorum beneficia episcoporum fastui, ac pompe tanquam instrumenta luxuriæ accedere? Omnia se expertos consilia. jurisconsultos toto orbe Christiano quasivisse. nec laborare de jure, si leges valerent. Nunc cum imperio ageretur æstimare necessitatem. Si tamen Ordines secum miscerentur, fiduciam ponere in benignitate Regis. qui non suâ voluntate; sed paucorum ambitione circumventus transisset in hæc consilia. Illum Ordines adirent. omnium nomine affarentur, causæq; suæ justitiam representarent. Hæc & plura hic atque ibi jactata, traxerunt Ordines in sententiam.*

*Eâ tempestate Geneva urbs antiqua, & studijs nobilis, passim à Belgis frequentabatur. Non tam liberalium artium causa, quæ Lovanij non*

nij non minus laudabiliter colebantur : quam quod Gallorum sermonem simul ediscerent. Cæterum novitate religionum, qua tunc maxime Genevenses præter cæteros insignes habebantur, offensus Rex, litterarum commercio ejus urbis, Belgis interdixit. Et quo facilius lubricam juvenum ætatem concessis studijs retineret, novam Academiam ex consilio Viglij, Duaci instituit. Neque ea res criminacionibus caruit. Lovaniensibus potissimum in detrimentum sui interpretantibus. solitudinem urbi reperaturam, in cujus solatium olim Academia subvenerat. Brabantia Ordines apud Gubernatricem supplices, & ob magnitudinem negotij rejecti ad Regem, delegatos decernunt in Hispaniam, privilegia sua memoraturos. Quippe ne abbatia in commendas transfunderentur, veterum Principum indulta caverant. Delegati cum assensu auditi sunt à Rege. scribente potissimum Gubernatrice, quam periculose leges verterentur, quibus publicus status innititur. Monasteria Abbatibus permessa, octingentos quotannis florenos episcopis conferre jubentur. De Academia nihil mutatum. Antverpienses seorsim legationem ornaverant, civium querelas, & vota laturam. Nam si metu Inquisitionis advenæ tenerentur, moritura commercia referbant. *Scire se quidem nihil triste ab episcopis timendum esse, nec alio consilio institutos, quam ut in custodiam*

MDCXII  
Stylo veteri.

diam religionis vigilarent; sed hoc ipsum suspicacibus  
externorum animis persuaderi non posse; & plurimum  
vrbi sue accessurum, si hoc incommodo absoluerentur.  
multitudinem non aliter vanis, & inanibus, quam ve-  
ro terreri: & malorum hominum deliramentis concuf-  
sam, stultè omnia in metus trahere. Philippus Rex  
deliberaturum se præfatus, libellos recepit.  
Réque pensatâ possessionem episcopatus in  
adventum suum vacuum esse iussit. His audi-  
tis, Geldrij, Frisij, Groeningenses, & Daven-  
trienes contumaciores reddebantur. Nam &  
ipsi ab initio adventantes episcopos constan-  
ter repulerant. animati studijs Procerum, in-  
vidiam Granvellano ex omni parte quæren-  
tium.

Medio tempore nuntiatum est discordare  
Gallias, & ingenti apparatu in civile bellum  
revolvi. Et à Carolo Rege aderant legati, au-  
xilium orantes in ultionem sceleris erga se per-  
petrati, cujus exemplum communis Regum  
causa postularet. suberat tamè metus, ne com-  
plexi dexterarum verterent arma, & infesta signa  
Belgis inferrent. Proceres in concilium voca-  
tos Gubernatrix perpendere jubet, quid sibi  
agendum, & post triduum referre sententiam.  
Egressi curiâ, multi ex his cum Auriaco conce-  
dunt ad epulas, quas tum forte solemniore  
instruxerat. Ibi de Granvellano plurimus ser-  
mo. Iam enim plerisque videbatur elatior  
quàm ferri posset. Quippe sine illius suffraga-  
tione

rione neminem ad magna, & honorata mini-  
 steria provehi aspexerant. & si quid in Hispa-  
 niam scriberetur, haut aliæ sententiæ Rex ac-  
 cedebat, quam cuius ille auctor fuerat. tantum  
 de se prudentiæ opinionem fecerat. vir sane  
 præstans, disciplina, & indole erectus ad ma-  
 gna, Regique charissimus, atque illo amicitie  
 gradu dignus, in quem consilij publici fata ha-  
 ctenus recubuerant. Hinc potissimum dolor,  
 & indignatio, quod homo talis, & quidem  
 externus, occuparet primum gratiæ locum a-  
 pud Regem, & in secretorum omnium ad-  
 mitteretur consortium. Itaque ut sæpe alias,  
 tunc quoque passim criminabantur, quod *solum*  
*ille rempublicam regeret. quod ex libidine cunctos ex-*  
*tolleret, aut deprimeret. quod sui ratio non haberetur,*  
*prævalente semper illius sententia, tanquam plus*  
*omnibus saperet. vnum quidem è senatoribus esse; sed re-*  
*verâ imperij summam habere in manibus. & ob id, sui*  
*artibus Gubernatricem ad provinciarum regimen eve-*  
*xisse, non viribus, non experientia validam, ut repu-*  
*blicæ munia sibi arrogaret, ex arbitrio statum forma-*  
*ret, ceterosque calcaret recentipotentia. Nil se in con-*  
*cilio quam numerum facere, egregie scilicet ornatos,*  
*vano, & supervacuo titulo, vno Granvellano in sacra,*  
*in profana, & in omnia regimen vsurpante. Non aliâ*  
*causâ novos introduxisse episcopos, quam ut in visis ho-*  
*minibus, & sui similibus Ordines impleret, ne qua pars*  
*reipublicæ Granvellanistis careat. mox fratres, mox co-*  
*gnatos & affines Concilio Status illaturum. qui actio-*

nes Procerum observent, & apud Regem universos accusent, vt supplantatâ nobilitate ad Hispanorum arbitrium rempublicam instituant. Olim Principes omnia per Magnates egisse. nec pœnitere veteris status. ad stabiliendum imperium maximè pertinere, si ratio apud vnum, cura cum multis communicetur. Eundem obviam vanitati, & arrogantia hominis. Et hoc in expedito fore, si unanimes fuerint, atque vno semper ore sententiam prompserint. idem velle, idem nolle, id est; amicos esse debere, qui societate velleris propiore nexu jungerentur. eâque concordia auctoritatem illius convulsuros. Et instabat Auriacus, ut privatim nunc statuerent, quid post triduum dicturi essent in curia. Pauci quidem assentiebantur ei. Neque enim usque adeo corrupti mores erant. plerisque adhuc privatas similitates sic exercentibus, ut salutis publicæ curam non deponerent. Ab his igitur responsum, tres dies ad deliberandû datos, ut ab eo quod hodiè placeret, medio tempore liceret recedere. neque convenire, ut privatim inter se de tanta re decernant, qui coràm, & sub oculis Gubernatricis iussi essent ferre suffragium. Condicto autem die, cum super inopia ærarij, Gallorumque postulatis consulere, sinceris judicijs decrevere, referendum esse ad Regem. actumque ut Montignæus ea legatione fungeretur.

Inter quæ Hornanus ex Hispaniâ supervenit, Consiliarij Status titulo excultus. vetus odium



odium diurnitate non exuerat. Statimque se factiosis applicuit. Cæterū Auriacus pluribus artibus nobilitatē iuxta, ac plebem sibi devinxerat. comis, liberalis, magnificus, non contemptor, non superbus, commune nobilitatis vitium: solertissimè populo blandus, congressu & sermone familiaris, infimo cuique honorem reddebat, prorsus vulgari auræ commo-  
dissimus. totque bonas artes prudentia, calliditate, & solertia miscuerat; vitijs nisi plerumque Principum familiaribus, non corruerat. nihil temere loqui, egregiè dissimulare, aliud lingua præferre, aliud pectore claudere, tutissima quæq; metuere. magnæ sanè virtutes quoties in virum bonum, & civilia patientem inciderint. Ingenium ejus olim notaverat Carolus Cæsar, & reipublicæ quandoque grave, & periculosum fore prædixerat. Regi quoque paullo suspectior erat, quàm volebat videri. & ob id Flandriam ambientem, Hollandia præposuerat, eâ tempestate inopi, atque infirmæ provinciæ. Granvellanum quoque custodiæ causa abhibuerat Concilio Status; virum constantem, & obstrepere ausum, quoties à ratione abiretur, & justitia. Quares potissimum Granvellani invidiam inexpiablem fecit. Proceribus libertati ejus irascentibus, nec satis patientibus secundo gradu post illum consistere. sed jam furore, & ambitu cuncta compleverant. consilia do-

mi

mi frequenter habere, apud Gubernatricem impotentiam criminari, consiliis ejus officere, nihil pensi habere dum è provinciis amolirentur.

Eò tandem res deducitur, ut Auriacus, Egmondanus, & Hornanus ad Regem scriberent in hunc modum. *Ægris oculis Proceres summam reipublica in unum aliquem translatam aspicere. Quæ jam ut maximè incolumis esset, stare tamen non posse, nisi amoto Granvellano, cujus impotentiam omnes fastidire inciperent. se ad id consilii publico urgeri periculo. Malum esse displicere cunctis ut uni placeas. si quæ suaderent, etiam crederet, omnia in melius processura. Placida Parmensis imperia populum continere. Neque hæc in ambitionem consuli, cujus causas procul haberent. Pro beneficio accepturos, si expungerentur è Concilio Status, ubi Granvellano præsentem, non indoli, non existimationi, ac ne sacramento quidem suo satisfacerent. Religionis curam diligenter acturos. Et illam hætenus inviolatam stetisse solitudine suâ: quæ dissolutis Granvellani moribus perire sensim inciperet.*

*Proceres ad Regem scribunt ut Granvellanum amoveat.*

Rerum novitas ingentem Regi sollicitudinem incussit. Mox Debremontii dominum redire in Burgundiam iubet. quem pridem Granvellano infensum, mutuas similtates exercere perceperat. Proceribus autem in hæc verba rescripsit. *Affectum animi vestri respectum habeo. cur tamen res in præsens mutari debeant, non video. si ex vobis alteruter excurrerit;*

*Responsura Regis Philippi.*

*MCDLXXI. Stylo vet.*

D cuncta

*cuncta ex liquido cognoscam. Regem me esse memi-  
ni, & inauditum damnare non posse. Ingrata Pro-  
ceribus epistola fuit. Quippe non obscure  
repulsi erant. & hoc ipsum in contemptum  
sui interpretabantur. Inde ad fortiora consi-  
lia respexere. & quod presentissimum reme-  
dium rebantur, Generalia Ordinum concilia  
solicitare incipiunt. Sed Gubernatrix decre-  
tum Regis in contrarium obtendebat. Nam  
inter plura alia arcana mandata, hoc ipsum  
diligentissime jussit Rex, ne absente se Ge-  
neralia Ordinum comitia indicerentur. Cum  
ergo mentionem eorum gravate admisisset,  
plus indignationis factiosus accessit.*

*Auria-  
cus, Eg-  
mondanus  
& Horna-  
nus è Con-  
cilio se  
subducunt.*

Post aliquot dies, tres illi quos ante nomi-  
navi Gubernatricem aggrediuntur libello, in  
hanc sententiam. *Proceres sepe inter se miscuisse  
sermonem de statu publico. qui ab exitio quantillum  
abesset, ex his intelligeret. Novis opinionibus addictum  
esse populum. militibus stipendia non dependi, toties  
flagitata, atque promissa. blanditiis ultra pacari non  
posse. exhaustum esse Regis ararium, & alieno ere-  
gravatum. Parum abesse, quin importuna credito-  
rum libido negotiatoribus Belgicis manus foris inji-  
ciat, & commercia intervertat. Ista tot mala ar-  
teverti potuisse Generalium ordinum comitiis, usita-  
to hactenus in anxiiis rebus remedio. Cum ei vero dis-  
splicerent hæc consilia, orare ut salutari aliqua ratione  
subveniret. Nam quod ad se attineret, abdicare  
Concilium Status, in quo hactenus pro umbra ser-  
vierint.*

vierint. Simul omnes abstinebant curiâ. nec precibus, nec auctoritate ad mutandam sententiam compelli poterant.

Deinde ut erant ad omnia quæ agitassent pervicacis animi, sumpserunt rursus tabellas, & ejusmodi verba ad Regem exarant. *Laudabile id quidem, quod indicta causa in tuos non statuas. Neque se Granvellanum reum facere. contra bene illi consultum velle, si adimeretur onus, supervacuum forsân; at certè cujus humerum magnitudinem non caperent. Causam si requiris, à malis publicis exigenda est. Ipsa calamitates erudire te possunt, quàm impares lacertos imperio subjiciat. In Hispaniam, nisi per rempublicam foret, non unus aliquis nostrum; sed universi veniremus. Armorum strepitus, qui vicinas concutit gentes, ad intensiorem curam nos compellit, & in suas quemque cogit provincias. Attamen si verum scire vis, ex litteris nostris consequi potes. quarum fidei presentia nostra, nec detrahet aliquid, nec adjiciet. De cetero rogamus, ut in bonam partem consulas, destitutum esse à nobis Concilium Status, ubi in tempestivis simultatibus tempus terendo, magis graves, quàm utiles eramus. Difficile est cum eo vivere, qui modum nescit in imperio.*

*Proceres  
rursus ad  
Regem  
scribunt.*

In his motibus Proceres toti erant. cùm & populus, nihil horum ignarus, non mediocriter murmurare cœpit. Multi non tam Granvellano infensi, quàm Proceribus adulantibus, male dictis agebant. Proceres enim af-

fectus omnium in se attraxerant. qui per creditas sibi provincias animis civium propius incumbentes; cum amicos, & adultores honoribus excolerent, & promptissimus quisque supra ceteros attolleretur, arcanum quoddam in omnes gerebant imperium. Igitur factionem, & contumaciam eorum vulgus laudare, Granvellani famam verbis, famosisque libellis, atque omni prorsus modo proscindere; avaritiam, ambitionem, libidinem objectare; crucem, & lapidationem meritum clamare; utique postquam per multitudinem spargi cœpit, suasisse illum Regi, ut à Summo Pontifice peteret absolutionem sacramenti in auspiciis principatus emissi, quò sua civibus jura, ac privilegia eriperet. Sed longè aliter prudentiores æstimabant civiles artes, rerumque experientiam, & eruditionem atque eloquentiam in vito summam. virtutes amares, vitia non nocebant; quæ sub umbrâ magnitudinis excusata latebant.

*Falsus  
umor  
spargitur  
Granvel-  
lanum in  
capita  
Procerum  
percussio-  
res com-  
parasse.  
Idem Pro-  
ceres sac-  
tus inest.*

Inter quæ Bruxellæ vulgatum, destinatos occultè in Procerum capita percussores, & Granvellanum esse, qui licitasset. Rumorem illum à magnatibus ultrò ad augendam invdiam compositum, multi intelligebant magis, quàm credulo populo persuadere poterant. Proceres verò simulaverint ne metum, fide invicem data, acceptaque sacramento obstrin-

obstringuntur. Legem fœderis nemo meminit. Nihil in Regem, aut religionem meditatatum convenit. Initium ab Auriaco cœpit. Egmondanus & Hornanus viva repente odia intulêre. Hoochstratanus, Montignæus, & Brederodius, spontanei sociavêre consilia. Bergensem nulla sua injuria adjunxit. Ob æmulationem Granvellano adversus, premendi inimici occasionem arripuit. Plures inierintne fœdus, per scriptores non convenit. Multi enim ut nomina dare, & participes esse vellent, perpelli non poterant. & modestissimus quisque ab ejusmodi factionibus abhorrebat. Constat autem cœnantes apud Gasparum Scetum Regis ærarii, seu Finantiarum quæstorem, inter vina, & facetias sortito tesseram quæsisse. Fortuna eligendi arbitrium in Egmondanum transtulit. Ille signum flagitantibus dedit, ut factiosorum servitia nigro cultu instruerentur, & supra pallii latus, aureo internitente filo morionis cucullum exprimerent. Postridie lugere omnes dice-res. nisi quòd eminebat in veste ludibrium, quod non obscure ad Granvellanum referebatur. Ea res multitudini grata, bonorum indignationem contraxit. sed ante alios Gubernatrix offende-batur, quòd non unius hominis famam, quàm religionis reverentiam ad risum, jocumque traductam aspiceret. Modestè igitur inculati Proceres,

loco cuculli reposuere fasciculum sagittarum, sinuantibus funiculis in medio astrictum, tanquam invicti, quamdiu concordessent. Granvellanus autem publico ludibrio expositus, Mechliniam turbatus se recepit. Prudentique absentiam furori cedens, negotiis imperii in posterum abstinuit. Nam & nobiles ad solita Brabantiae comitia de more vocati, detrectabant contumaciter officium, affirmantes se presente eo haut unquam ibi vestigium posituros. Paullò post Burgundus quidam, nomine Villeta, in caput illius ferebatur comparasse insidias. Et ille tot simul malis perculsus, ut seque, & religionem infamiam absolveret, circumspectare abitum cepit. Communicato cum Gubernatrice consilio Armenterius in Hispaniam mittitur. Erat ille ab epistolis Gubernatrici, recta tunc fidei, quia nundum se avaritia animo ejus insinuaverat. Ad hunc nunciùm Rex quid agendum sibi esset paullisper dubitavit. Deinde amicos in consilium adhibuit. quorum varia sententia fuit. Plerique in Belgarum Procerum contumaciam stomachabantur, quod prescriberent Principi leges. quod seditionem, bellumque molirentur. quod inordinatis affectibus indulgentes, ad eadem volenda Regem adigerent, & contra fas imperii libidini eorum morem gerere equum crederent. Rem esse altiore, quam ut concedi debeat. odium, & invidiam pratendere, ut abducto custode impe-

imperium ipsi invadant, & quod nunc alienum administrare coguntur, suum faciant. ausuros peiora, si prima processerint. Nec disitas provincias aliter retineri posse, quam si aliqui extiterint, qui Magnatum cervicibus incumbentes, actiones eorum observent, intra obsequii limites cobibeant, nec in noxias cupiditates evagari patiantur. Hæc quidem Rex favorabiliter audiebat. vicit tamen naturalis bonitas. simul discordiæ privata odia supergressæ timebantur. Haut ignarus quantum sceptri sui interesset gentem illam in pace relinquare. quod unum ipsi Carolus pater ante omnia commendaverat, & inter arcana imperii censei voluerat. Proceribus itaque in concilium redire jussis, tacito mandato Granvellanum evocavit, quæsito prætextu viam instituere jubens, ne id sibi extortum Proceres crederent.

Neque mora, Granvellanus prid. Id. Mart. iter sibi in Burgundiam pronuntiat. Maximilianum Morilonum, præpositum Ariensem, archiepiscopalibus officiis substituit, virum virtute insignem, sibi que charissimum, simul & litterarum, atque eloquentiæ nervis instructum. *Granvellanus provincie excedit.* Causam revivendæ matris in prætextum viæ accepit. & ob id Chantenottum, & Champignæum fratres unâ proficisci mandavit. sed re verâ animum ad Hispaniam adjecerat. struentibus fatis viam fastigio, quod deinde ascendit. Quippe illum comitata est



perpetua, & inconcussa felicitas: cum ex  
ferè ad ultimum fortuna fastidire, & tan-  
quam fatigata excutere soleat, quos princip-  
bus aliquando charissimos fecit.



NICO.